



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ad Rationem II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

PROTESTANTIBUS DANDA.

45

Ad IV: Multo minus apparet, quid directe faciat ad hæresin tutela ejus publica à vi; nisi fortè directe etiam omni vitio cooperetur is qui non occidit quemvis peccatorem. Quod absurdissimum dictu est. Vero scilicet verius est, id quod sibi paulo post Auctor objicit: *omnem quoque tolerantiam licitam ponere tutelam publicam.*

Compellere subditos ad hæresin, vel emigrationem ex patria &c. esse actiones malas, certum est: neque pax exigit ut illas bonas pronunciet quisquam Catholicorum, sed licet illas ore & calamo, publice & privatim, improbare. Per pacem ergo *hisce actionibus defensionem, patrocinium, & auxilium promitti*, simpliciter dicere, calumniosum est. Neque enim defensio, patrocinium, vel auxilium, vi Pacis Protestantibus debetur, nisi tantum adversus illos, qui ipsis nolunt impune hoc permittere in Imperio, propria quadam auctoritate. Satis sc. tuta est Fides spiritualibus armis; & hæresis non aliis feliciter impugnatur.

RESPONSUM AD RATIONEM

H.

*Pacem ejusmodi non inferre injuriam Creatori
& vera religioni.*

Duplici argumento heic utitur Auctor: prius cum priora Ratione idem est, non indiget ergo nova confutatione.

F 3

Ad

Ad II. Verum quidem est, Hæresin, seu potius Hæreticos, vi pacis, veræ Fidei, aut rectius Catholicis, exæquari in nonnullis: *in dignitate illesa fame, civilis nimirum, in libertate profitendi doctrinam, in publica defensione à vi armata, & horum omnium perpetuitate.* Verum quoque est, in his omnibus injuriam esse. Sed negatur, hanc injuriam à Pace creatori & veræ religioni inferri. Creator ipse solem facit oriri super malis æque ac bonis sine culpa injuriæ. Paterfamilias ille in parabola permittit zizania crescere cum tritico usque ad messis tempus, nec ipse tamen injuriæ potuit accusari. Ratio autem horum omnium est, quod mundi hic status non ferat, ut bonis omnibus justa præmia præ malis tribuantur, sed cogat ille nos, in nonnullis malos cum bonis eodem habere loco. Quod ipsum itaque quando fit, non ita interpretari debent boni, quasi illi qui malos sibi ex parte æquant, inique secum agant: neque enim ipsis licet aliter. Quæ ratio autem virtutis & vitii, illa in Germania est hodie Fidei Catholicæ & Hæreseos. Non enim licet veræ Fidei omni loco primas deferre, per iniquitatem hominum & temporum: sed aliquid Hæresi est indulgendum, quo majus ipsius Fidei periculum caveatur. Ideoque illi qui indignantur, ex parte æquari Fidem veram Hæresi, audiant illud prudentissimi patrisfamilias: *finite crescere zizania usque*

ad

ad messem, & in tempore messis dicam messoribus; colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Expectemus omnes tempus messis novissimæ. Gaudeamus & exultemus: quoniam merces nostra copiosa erit in cœlis.

RESPONSIO AD RATIONEM

III.

Pacem ejusmodi non esse causam perditionis animarum.

Hæresin esse causam perditionis animarum, verum est: si Hæresis itaque robur & stabilimentum suum omne haberet à pace, verum quoque esset, quod causa ejus perditionis sit pax. Quod enim causa est causæ, illud etiam causa est causati. At verò Hæresis sublata pace magis solito sævit, & innumeris malis corpora & animas Catholicorum affligit; ut supra est demonstratum. Itaque pax potius servat quod superest Fidei Catholicæ. Quæ autem mala ab Hæresi proveniunt, non vi pacis proveniunt, sed provenirent æque sine pace, imo magis provenirent & copiosius.

Elucet hinc *πρωτον* *ψυδθ* eorum quæ hic afferuntur. Omnia scilicet mala quæ ab Hæreticis proveniunt paci imputantur; quum tamen constet, jam ante pacis Religionis tempora, omnia illa, imo postea
 præter